

Epagomenon autem Neomenia in III. Aprilis translatam, ut Neomenia Saeg Nisan esset aequinoctialis VIIII. Aprilis, propter Semiramidem: a quo tempore VIIII. Aprilis caput anni fuit usque ad medium regnum Seleucidarum. VI. Octob. fuit Tekapha anni & caput annum solarium ad hunc usque diem; nisi quod tunc post cxx. annos, caput ad priscam epocham intercalatione redibat. hodie mera Juliana est.

Anno primo post Diluuium, a Patriarcha Noe instaurata est epocha vetus Octobris xxvi; qua semper Hebraei ad excidium Templi, & casum Sedekiae usi sunt, ad quam Tekuphoth suas dirigebant. Anno, qui exodi tempus antecessit mensibus sex Neomenia aequino-

ctialis commissa est VI. Octobris, mense magno septimo, lustro xx. ineunte, anno Periodi Julianae 3217; vel potius 3216. sed ut bisextilis dies in lustri initium caderet, uno anno tardius Epocham constituta.

In anno Exodi duplex mutatio facta. Nam & caput anni ab Autumno in verum tempus traductum, & aequabilis forma in lunarem conversa. Ac deinceps Neomenia per tubicinum iudici ceperunt, quod antea necesse non erat: quandoquidem menses lunares alternis cavi sunt, & pleni: propterea opus fuit Neomeniam indicere. Argumento est lunarem annum Hebraeos post excidium secutos, quod non id est appellatur Neovilium.

TABULA CHELADIM MAGNORUM mensium Hebraicorum ex Scaligero descripta, quae est lib. III. Itag. Can. pag. 263.

Table with columns: Linea Cheladim, Neomenia in Periodo Juliana, Littera Domin., Neomenia in annis mundi, Charact., Neomenia Zygonos in diebus mensium Julianorum, Neomen. aequi. in annis Per. Jul., Anni Cheladim collectio. Rows 1-12 and 13-16.

Methodus eadem, quae anni Chaldaici, atque Persici supra a nobis explicata. Chelad idem hic est, quod illic Sarus: & lustrorum, ac Neomeniarum anticipatio prorsus utrobique par & eadem.

CAPUT XX. Elenchus anni Hebraeorum veteris a Scaligero descripti. Dum ad Scaligeriana ista commentorum ludibria tam vacua sensus, tam inepte conficta; tam temere affirmata respicio, exclamare libet, quod adversus Va-

CAPUT XX.

lentinianorum, & Gnosticorum nugae de scena usurpavit Irenaeus, I. 8. c. 2. Merito enim, inquit ille, tragicum illud vociferari licet, cum tam ridiculas, ac mendaces fabulas sine ullo rubore profertur, & falso scientiae, ac cognitionis nomiae venditari cernimus. Hac non de Gnosticorum ineptiis ab Irenaeo, & Tertulliano potius, quam de tota illa Scaligeri doctrina pronuntiari

TABELLA Lustrorum.

Table with columns: Linea Lustrorum, Lustra collecta, Neomenia Chelad in diebus Julianis. Rows 1-30.

lenti, quod adversus Valentianorum pleromata, Archontes, Achamoth; ac reliquae omnes inextricabiles, & aetate egypti fabulae cum his Scaligerianis mendaciis, & nugis comparari possunt; quibus vanissime speciosum doctrinae, atque emendationis temporum nomen inscribitur. Quod enim in superioribus ubique commissum, ac fatiale homini vidimus, multa ut nova, & haecenus inaudita, sine ulla auctoritate, ac probatione dicere; tum idem ipse fabularum contextus minime cohereret, sed cum prioribus posteriora pugnant: hoc ipsum in Hebraei anni structura perpetratum, faciam ut vel Scaligeri ipsi fautores agnoscant.

consecras, si singula diligenter inspexeris, atque hoc imprimis caput de Hebraico anno veteri, quod resutare aggredimur. Nam nulla Valentianorum pleromata, Aeonum tabulata nulla nulli abortivi partus, Enthymeses, Archontes, Achamoth; ac reliquae omnes inextricabiles, & aetate egypti fabulae cum his Scaligerianis mendaciis, & nugis comparari possunt; quibus vanissime speciosum doctrinae, atque emendationis temporum nomen inscribitur. Quod enim in superioribus ubique commissum, ac fatiale homini vidimus, multa ut nova, & haecenus inaudita, sine ulla auctoritate, ac probatione dicere; tum idem ipse fabularum contextus minime cohereret, sed cum prioribus posteriora pugnant: hoc ipsum in Hebraei anni structura perpetratum, faciam ut vel Scaligeri ipsi fautores agnoscant.

Annus, inquit Hebraeorum veterum similis fuit Chaldaici, & Persici illius, quem antea descripsimus, in quo post annos cxx. neomenia per intercalationem in epocham restituitur. Hic ego perspicacissimos quoque lectores advocho, ac mecum diligenter omnia perscrutari jubeo, totamque Scaligeri disputationem evolvere: profecto ne umbram quidem argumenti ullius, ac rationationis invenient, in qua conjectura ista delitescat. Mitto quod jam ex antecedentibus patet, formam illam anni Chaldaici, quam ad Hebraeos transferri, praeis temporibus gratis adscribi. Concedatur in usu tum Chaldaeorum esse versatam. Hebraeis certe non video quam necesse sit asserere. Hic illa Diluvii historia nobis obicitur; in qua menses omnes aequabiles sunt. Esto sane. Num ideo de mense illo intercalari, ac cxx. annorum intervallo concluditur? Quamquam plerique negant tricenarios illos menses fuisse; & multa, velut indubitata, sumuntur a Scaligero, quibus alii refragantur. Cujusmodi est imprimis, quadraginta dies, quibus continuè pluit, in centum illis & quinquaginta comprehendi, quibus terra inundantibus aquis operata est. Item bis quadraginta dies superfedisse Noëum, antequam corvum dimitteret: & alia quaedam, de quibus postea accuratius dicetur. Nam ex illis pendet anni in menses aequabiles partitio. Verum ista sane de anno aequabili, & tricenariis mensibus conjectura probabilis. Non enim id negamus. Certè quod ei tamquam consequens ponitur, vel quadriennio quoque vertente, Neomeniam uno anticipasse die; vel post cxx. annos solidum mensem intercalatum, ac fugitivam Neomeniam pristinam in situm retractam; id effici inde non potest. Nam aut annus tum cccix. diebus definitus est, idemque vulgari opinione lunaris creditus, ut apud Graecos usuevit; aut quinque dies appendices & nonnumquam plures ad compensandum solis cursum adjuncti sunt, aut post annos quatuor plurésve, non utique cxx., residui aliquot dies appoliti, prout solaris anni modus ab illis constitutus fuerat. Possent & alia quaedam a nobis excogitari formae nihilominus quam Scaligeriana illa probabiles; si id ad rem pertineret. Nunc satis est divinationis istius vanitatem ostendere. Jam illud unde obsecro deducit, de quo minime dubitare se dicit; menses magnos, qui Chaldaeis Sari vocabantur, ab Hebraeis esse nominatos? Hic magister nihil aliud est, quam avum, ac vita tempus. Psalmo xxxix. 6. וְלִי כְּיָמֵי נַחֲשׁוּרִים מֵעַתָּה. Nulla hic mentio longissimi humanae vitae termini; sed aetatis, ac vite, quam quisque degit, sive ea brevis sit, sive productior. Neque verò Genesios locas ille cap. vi. com. 3. Etiamque dies illius centum viginti annorum; eo sensu ab optimis interpretibus accipitur, quem attulit Scaliger, ut totidem anni deinceps humanae vite spatium praescripti sint. Constat enim pluribus etiam post Diluuium plerisque vixisse. sed ita ab Hieronymo, Chrysostomo, Augustino, ac ceteris exponitur; ut cxx. annos Deus ad respiciendum humano generi concesserit. Quare illud de Sari & Chelad comparatione ludicrum est.

Laudandum itaque Scaligeri consilium erat de mutanda priore sententia, si cum meliore mutasset. Nunc utram sequatur nihil ad salutaritatem refert. Est enim neutra sanè altera certior: sive a Chaldaeis traditam illam anni rationem vellet, quam Chaldaeos aliquando secutos esse non probat; sive Hebraeos per sese & a se habuisse. Quod ne ipsum quidem, nisi ex divinatione constat. Tametsi posterior illa erroris correctio cum ipsum, quem corrigit, errorem absurditate funderet. Pars I.

perat. Plena est enim nugarum; & somniorum; quorum magna pars cum de anno Chaldaico disputavimus, falsitatis convicta. Epocham anni veteris in Octobris xxvi. constituisse inscribi, si ita libet, jure possumus. Primum aequinoctium civile in eo die collocatum esse per illud tempus, est incertissimum. Nam Alphonsius modus veros illo saeculo motus non exaequat. Tum in viti parte librae, non in primo ingressu statui ab illis civilis anni cardo potuit; id quod veteres consueverunt scimus. Ad haec licet sub ipsum mundi conditum aequinoctium ex Alphonsina methodo in xxvi. Octobris conveniret, tamen Noëmi tempore & aequinoctio potius, quam a veteri, & obsoleta jam epocha cepisse.

Verum fuerit illa vetus epocha Octobris xxvi; quid tum postea? Anno, inquit, Periodi Julianae 2480. trajecta sunt epagomena, & mutatus anni cardo. Nam pro xxvi. Octobris, Aprilis VIIII. usurpatus est. Credi vix potest quanta in unum absurda cumulata sint. De Semiramidis fabulosa illa epocha dictum est antea. In qua non jam hallucinatio simplex, sed flagitium cernitur. Nam ex ea opinione sequitur Chaldaicum imperium, ac primum ejus conditorem Belum ante diluuium inlisse, annis ferme 12111. Quod Scripturae auctoritati repugnat: ex qua nefas est ullum ante diluuium ex illis regnis inchoare, quae quidem comperta nobis esse possunt. Quid enim? Si nihil aliud, certè generis humani strage profligatum illud imperium, atque interruptum esse nemo non sentit. Quinciam hoc ita posito, Ninum Semiramidis conjugem necesse jam erit cladi illi, atque diluvio superuisse, & ante diluuium ipsum imperare cepisse. Nam Diluuium accidit anno Periodi Julianae 2420. Ninus verò imperare orsus est anno 2412. novem annis ante Diluuium. Quinquaginta enim & duobus annis regnavit. Cui Semiramis successit anno Periodi Julianae 2464. Unde anno 2481. annus agebatur illius xvii. vel xviii. Quocirca non solum ista de instaurata in gratiam Semiramidis epocha temeraria est sententia; sed & sacris omnibus litteris contradicit, & Moysi narrationi delirium profanae novitatis opponit. Atque ea res in lib. primo & 2. rursus in disceptationem veniet.

Præterea miserandum in modum titubatur, ac velut offendit, & se ipsum illidit Scaliger. Placet enim huic, anno 2480. trajectas esse epagomenas a vi. Octobris in III. Aprilis. Ibi de Saris, Chaldaeis, & Salchodais loquitur; in quibus deinceps anni caput in verno mense, & VIIII. Aprilis habuit, relicta veteri epocha, qua in autumno, & xxvi. Octobris haecenus fuerat. In quo mirari illud in primis subit, cur in epocha Semiramidis instauranda, non ad priorem, ac veterem, Octobris videlicet xxvi., Salchodai reverterentur; aut Aprilis certè xxi., quo die verum aequinoctium Alphonsinum committitur, quando autumnale in xxvi. Octobris incurrit quemadmodum Judaeos asserit usque ad Exodi tempus priscam illam epocham Octobris xxvi. retinuisse. Velim scire causam quid sit, cur Chaldaei antiquum anni cardinem diebus XIIII. in verno mense præverterint; Hebraei non idem in Autumnali præstiterint; sed a priore digredi noluerint. Verumtamen id ita se habuisse censet; & pro potestate suam cuique genti provinciam mandat Scaliger. Quamobrem ex illius oraculo, Chaldaici anni caput, & initium Salchodai, ac Sarorum omnium posthac in VIIII. Aprilis mansit, neque inde summotum est; tametsi Neomenia Kronos jam pridem in anteriora discessisset, adeo ut quamlibet sæpè iteratae sint epochae, numquam tamen metæ illa Semiramicae commutatae fuerint, ut novi anni cardo in aequinoctialem diem succederet. Mirabere tu quidem quis factum sit, ut Semiramidis avo, cum epocha nova constituebatur, antiquae illae anni metæ translatae sint, & aequinoctii mediæ Alphonsini habita ratio fuerit; non idem postea contigerit, quoties nova epocha itidem instauraretur; praesertim cum Chaldaei illi reges non essent, sed peregrini, quibus honos haberetur. Veluti cum propter Cyrum Persa novum Salchodai, & Neuz instituerunt. Querendum enim fortasse putet, quare non in xxvi. Martii, ubi tum aequinoctium residebat, Neomenia Pharavardin, a quo Salchodai

Salchodai novus inchoatus est, collocata fuerit, sed in viii. Aprilis reiecta. Quam admodum anno 2481. cum in Semiramidis gratiam novam epocham fabricaverit Chaldaei, mutato veteri situ, in aequinoctium ipsum caput anni trajecerunt. Hujus rei si rationem exquisieris; unum illud audies: Ita magno illi Heroi, & incomparabili Scaligero, ac litterarum Herculi visum est. Δὲ δ' ἐπιλάτο Βαλῆ. Statutum est ergo caput anni Chaldaici in Aprilis viii. Subjicit verò Scaliger: Septimo Octobris fuit Tekupha anni, & caput annorum solarium ad hanc usque diem. Cujus anni, & nationis? Haud dubium, quin de Chaldaico anno id intelligi debeat. Nam continua est series orationis, quam de Chaldaeis, & epocha Semiramidis exorsus erat. Deinde cum antecedente pagina dixerit epocham veterem à Noëmo instauratam usque ad Sedeciae cladem esse retentam, quæ est Octobris xxvi; hic autem Octobris vii. caput anni Solaris collocatum asserat; posteriora ista de Chaldaico anno debent accipi. Quæ nihilominus de Hebræorum anno, non alio, pronunciata sunt. Ait enim Tekupham anni ad hanc usque diem vii. Octobris consistere, & hodie meram esse Julianam formam, ob quadrantes anni, quos Tekuphoth vocant. Unde liquet de anno Judaico sermonem insitui. Vides conflictum hominis & inconstantiam.

CAPUT XXI.

Pergitur in anno veterum Hebræorum explicando; de quo eo mira Scaligeri sanctorum.

LIBET verò varios illius doctrine flexus, & anfractus persequi, ut quantopere, ac quam aperte à semet ipse dissentiat, facilius assequamur. Primum arbitratur Scaliger Hebræos veteres anno solari usos esse, cuiusmodi apud Chaldaeos erat. Hunc quamdiu retinuerit, non satis explicat. Epocham quidem illius veterem Octobris xxvi. à Noë Patriarcha restitutam ad usque Templi excidium observatam esse, docet pagina 263. Itaq. Can. & ad eam Tekuphas ait esse directas: formam autem anni etiam ultra tempus illud pervenisse pag. 266. paullo post medium ostendit, cum dicit. Annum igitur priscum æquabilem Hebræi post tempus Exodi ad illam epocham æquinoctialem (nempe vii. Octobris) dirigebant: annum autem lunarem ad illam veterem anni formam exegebant. Nam per eam tempestates anni, æquinoctia, Solstitium, & brumam indagabat per xiv. c. c. m. ut canon vi. hujus capituli docuit. Hodie ex anno Chaldaico Julianus factus est, servata tamen veteri epocha in vii. Octobris. Si ante Julianam formam receptam Hebræi solarem annum suum ad vagam anni Chaldaici descriptionem applicabant, cum ante Julii Cæsaris tempora Julianam formam ignorarint, ad id usque temporis vaga anni forma perstitit oportet. Quapropter invenit Scaliger quod hoc in libro sub finem capituli de anno Hebræico quaesierat, ubi ita loquitur. Quando autem omnino hanc anni formam abiecerint Hebræi, utrum temporibus Abrahæ tantum usi sint, an verò ad tempora Nabopolassar, æquidem nihil statuo. In Itaq. verò Canonibus primum usque ad Julianam formam receptam, hoc est ad Julii Cæsaris tempora, vel etiam postea, quando formam anni illius amplexi sunt, vagum annum obtinuisse declarat. Duplicem igitur annum post exodum habuerit Judæi; alterum popularem, videlicet lunarem, qui sub exodi tempus in usum receptus est; idque comprobatur pagina 265. sequenti, & negare, extremæ imperitiæ esse docet: alterum Solarem, qui arcanus fuit; idemque primò vagus, ex Chaldaici anni præscripto: deinde Julianus.

Hæc de anno Hebræorum tam æquabili, quam lunari luculenta, jucunda, utilia, clamat esse Scaliger, quibus nemo neque meliora, neque certiora adferre poterit: à quorum cognitione omnes stultitiae, amulor, xabaçes, inquit, submoventur. Atqui nihil est in tam ingenti diatriba coherens, ac non modò reliquæ omni doctrinæ, sed etiam sibi consentaneum. Nam priora posterioribus adversantur.

pag. 260. Antea cum de anno Chaldaico, & Persico sermonem institueret, negabat Persas, quamdiu sub Chaldaeorum dominatu fuerunt, proprium annum habuisse, sed Semiramico usos esse; aliter verò putare, hoc esse com-

muni sensu earete. Nunc contrarium profus edisserit. Nam Hebræos, antequam Chaldaici parentent, sponte sua popularem annum Chaldaicum observasse credit, usque ad Exodum, unâ cum Chaldaeorum epocha. Post Exodum verò lunarem annum substitutum, quo deinceps perpetuo in hodiernum diem usi sunt. Proinde quo tempore Chaldaei, deinde Persis obsecuti sunt, civilem Chaldaeorum annum minime complexi sunt, ut nec illorum epocham. Nam epocha Chaldaeorum ab anno Periodi Julianæ 2481. hæsit in viii. Apr. cui Autumnalis respondet in xiiii. Octobris. At Judaica post Exodum Autumnalis quidem in anno Solaris vii. Octobris occupavit; vernalis autem Aprilis II. Nam ejusmodi Tekupharum situs necessariò connexi sunt. Peccarunt ergo Judæi contra Scaligeri doctrinam, commutemque sensum, qui alium annum, epocham aliam vitæ tenuerint, quam que victorum erat, dominorūque Chaldaeorum. Vel ipse potius in eadem causâ auctor tam absurdus, tamque ineptus sententiæ fuerit; cui ne ipsi quidem obtemperandum putavit.

Altera manifestior, ac turpior dissensio; quòd posteaquam à Noë Patriarcha dicitur instauratam esse veterem epocham, & ad excidium usque templi, atque casum Sedeciae propagatam illius usum; subinde in aliam, atque aliam sententiam discedit. Modò enim Tekupham, & epocham in xxvi. Octobris retinet, modò in vii. Quæ duo manifestè contraria paucis verbis pronunciat. Primum pag. 263. Anno, inquit, primo post Diluvium à Patriarcha Noë instaurata est hæc epocha (de qua sermo erat, nempe xxvi. Octobris) qua semper Hebræi ad excidium Templi, & casum Sedeciae usi sunt, ad quam Tekuphoth suas dirigebant.

Quare ex hoc Chronologorum principis oraculo epocha anni Hebræi, ac Tekupha Solaris anni usque ad excidium templi hæsit in xxvi. Octobris. quod etiam tabula Cheladin, sive magnorum mensium Hebræorum declarat. Nam in ea Neomenia Cheladin omnium à xxvi. Octobris incipit. Exempli causâ Chelad primum iniiit anno Periodi Julianæ 2421. Octobris xxvi; cuius lustrum tricesimum incipit Septembris xxvii: epagomenon Neomenia Septembris xxii. anno verò 2541. inchoatum est Chelad à xxvi. Octobris. Nam pro Neomenia epagomenon Septembris xxv, collocata est Neomenia mensis intercalaris, & Octobris xxi. epagomenæ cœperunt. Hæc anni forma, & epocha ad casum Sedeciae observata dicitur. Contigit autem excidium urbis anno Periodi Julianæ 4124; ut docet lib. v. pag. 377. Et tamen laterculum ad annum usque 4221. pertinet.

Postea sequenti pagina; vii, inquit, Octobris fuit Tekupha anni, & caput annorum Solarium ad hanc usque diem. Quod sanè eodem tempore insitutum, quo à Chaldaeis trajecta sunt epagomenæ, hoc est anno 2480, series ipsa orationis arguit. Statim etiam post mentionem trajectionis illius incontinenti illa subjicit. Septimo Octobris fuit Tekupha anni &c. Quod si Scaliger voluit; tum alia discrepantia nascetur: atque hæc epocha vetustior erit, quam fuisse postea significat. Sed ut obscure, ac parum accurate ista scripserit, illud certè perspicue, ac sine ulla ambage docuit, quod superiori decreto contradicit: anno Exodi Tekupham anni, & caput annorum Solarium in Octob. vii. constitutum. Hoc enim tota illa diatriba ingenti studio comprobatur, præsertim pag. 266. Annum igitur priscum æquabilem Hebræi post tempus Exodi ad illam epocham æquinoctialem dirigebant. Est hæc epocha, de qua paullo antè dixerat; Verus tamen epocha à vii. Octobris ad hanc usque diem, est titulus annorum Judæicorum. &c. quam pag. 263. æquinoctialem fuisse anno ipso Exodi scripserat, anno Periodi Julianæ 3216: & sequenti pagina, vii. Octobris fuit Tekupha anni, & caput anni Solaris. Tandem pag. 215. Itaq. Can. sub finem, priscam Tekupham Moysi appellavit, & epocham Moysi. Quocirca nihil exploratum est, quam ab anno Exodi, Per. Jul. 3217, Scaligerum velle epocham anni Hebræici, ac Tekupham in Octobris vii. statutam esse. Atqui paullo antè definitur, priscam epocham in Octobris xxv. à Noë instauratam, & ad casum Sedeciae retentam. Dabo & aliud ἐναντιώμα, & novam divini hominis oscitantiam.

Quippe in omnibus de emendatione temporum libris sæpè illud inculcat, hanc ipsam epocham anni Solaris Octobris vii. à Græcis, & Syromacedonibus

accepisse Judæos. Etenim propriam hanc Syromacedonum epocham fuisse pluribus adstruit lib. II. pag. 90. & sequentibus, cum de Calippica Periodo disserit: cuius initium translatum dicit à Macedonibus in Octobris vii. in quem Neomenia Hyperberetæ ex anni Græci descriptione forte convenerat. Hanc ab illis epocham, unâ cum anni forma, Judæos mutatos esse ibidem traditur capite de Periodo Judæorum Alexandrea, pagin. 102. Judæi igitur simul cum jugo Seleucidarum eorum annum, & epocham acceperunt. Item. Quare Tekupha Tisri erat in vii. Octobris, Tekupha Tebeth in septima Januarii, &c. Idem & capite de anno Judæorum novitio probat pag. 118. Ibi hanc ipsam vocat priscam Seleucidarum epocham septima Octobris. Nec non libro v. cap. de epocha Judaica pag. 339. ubi epocham illam ex Calippica Periodo Syromacedonum derivatam asserit. Item cap. de anno Alexandro Judæorum pag. 405. Veteris, inquit, ære Seleucidarum duo apud Judæos manifesta hædie supersunt vestigia; initium mensium quidem à Tisri, anni autem Solaris à cardine Syromacedonico Autumnali, nempe à vii. Octobris. Triâ igitur sunt Scaligeri pugnantia inter se decreta.

Primum: Hebræos epocham anni solaris in xxvi. Octobris, usque ad templi excidium collocasse.

Secundum: ab anno Exodi deinceps epocham eandem in vii. Octobris translulisse.

Tertium: hanc ipsam epocham non nisi tempore illo constituisse, quo Seleucidis subiecit sunt.

Certe priora duo non diversis in operibus, sed eodem in capite paucis à se invicem distinctè verbis leguntur. Quò majoris imprudentiæ, & aegrotiæ convincitur. Porro de cardine illo vii. Octobris adum est superiori libro, capite de anno Judaico lunari; quo in loco falsum esse monstravimus epocham anni, vel Tekupham olim diei illi tributam fuisse. Nam quo demum argumento id evincit Scaliger? In his locis, que ex II. & v. hujus operis libro protulimus, epochæ hujus cardinem ad Syromacedonicum annum, & Calippicam Periodum referebat. Hoc ibidem refutatum est, & explosa popularis anni Græci formâ, ex qua opinio ista ortum habuit, epochæ illius firmamentum extortum. Accedat nunc ad rationes, quibus conjecturam illam oppugnavimus. Scaligeri ipsius confessio; qui in Itagogenicis Canonibus, dum tandiu ante Syromacedonicam Periodum, atque ab ipsa jam tum Exodo statutam illic Tekupham exilimat, superiorem illam ex Calippica Periodo argumentationem retrahat. Atqui in Itagogenicis istis Canonibus epocham anni Solaris in Octobris vii. constitutam levissimis, imò nullis prorsus argumentis commonstrat. Pendet omnis ea suspicio ex Paschatis præcepto, quod primo mense celebrari Moyses jubet, hoc est circa vernum æquinoctium. De Tekupha vernâ, vel Autumnali nihil præscribitur. que cur ex Alphonstina anni forma præcisè Autumnalis quidem Octobris vii. defigatur potius, quam in octava Libræ parte; aut vernum similitur æquinoctium civile in Aprilis II. vel III. non in vii. vel ix. aut altero die collocetur, causam, quantum in Scaligero est, hæcenus ignoramus. Nam ipse penitus præterit, & dictatorio jure pro potestate sibi ut fides haberetur edixit.

At enim bellè admodum pag. 266. illius ratiocinatio procedit. Nam ex eo, quòd epocha anni in Octobris vii. remanserit, manifestum esse, scribit, vetustissimam epocham, qua utebantur, ante tempus Exodi fuisse in xxvi. Octobris. Aliter, si aliunde ejus initium caperetur, Neomeniam non potuisse convenire in vii. Octobris. Mirum acumen argumenti, quasi necesse sit post Diluvium epocham illam observari, à qua jamdudum caput Libræ, & Neomenia Zygonos recesserat. Anno Periodi Julianæ 2421. mundi 1658. proximo post Diluvium, æquinoctium medium ex Scaligero incurrit in Octobris xiiii. Quæro cur in Octob. xxvi. epocha anni, sive Tekupha retenta sit potius, quam in eo die, in quem medium æquinoctium incideret. Unde præterea divinare potuit, aliquot saltem ante Diluvium annis adhuc in xxvi. Octob. hæsisse priscam epocham, neque mutatione aliqua in veram æquinoctii sedem migrationem fecisset? Nam ut illud gratis concedatur, primis dumtaxat à conditu orbis annis. hoc est cxxxv. æquinoctium Octob. xxvi. constitit. Inde paulatim ad xiv. xxiv. ac reliquos dies progressum habuit. Toto illo tempore nunquam de prima statione dimotum est, & in verum situm trasla-

tum? Quid Noë Patriarcha, quæm epocham instaurasse post diluvium ariolatur? Quod enim neminè ante Moysen priscum illum cardinem mutasse fingit; neque ex Scriptura neque aliunde potest effici. Est autem probabilis eandem, quam traditam acceperat, epocham anni retinuisse Moysen, que proximè distaret ab æquinoctio celestis, aut in ipsum incurreret. Plumbeum est itaque Scaligerianum illud ἀρχαίωμα: Ideo in xxvi. Octob. ante Exodum convenisse Tekupham, quodiam post Exodum in vii. reperta sit. Quod ut syllogismi speciem habeat aliquam, prius illud probari, vel postulari necesse est: æquinoctium civile ex Alphonstina methodo pedetentim in antecedentia migrasse: deinde sub ipsum exodi tempus in Octob. vii. à Mose collocatum. Ex eo quippe, quòd æquinoctium civile post cxxxv. circiter annos diem unum anteverit, dato annorum ab orbe condito ad exodum numero, anticipationis modum colligimus. Ut quoniam anno mundi 2378. civilis anni mutatam à Mose censet epocham, toto hoc annorum spatio, xviii. ferè dies ἀνεπηθέτως constati sunt. Quibus exactis, quoniam in vii. Octobris inventum est æquinoctium, initio hujus intervalli Octobris xxv. diem, aut, si lubet, etiam xxvi. obtinuit. Nunc ab orbis exordio nullam per annos 1378. μετακασιν civilis cardinis agnoscit Scaliger, & ex abrupto vii. Octobris eidem à Mose præfixum putat: tum ita disputat: ex eo quòd in vii. Octobris Mose epocham statuerit, consequens esse ut in Octobris xxvi. ante istud tempus fuerit. Pecudem non hominem oportet esse quem argumentatio ista commoveat. Qui enim potius in xxvi. quam in vii. vel xii. vel etiam in Kal. Novembris fuisse consequntur? Atque hæc sunt luculenta illa, jucunda, utilia, que qui non capit, prorsus hebes est, qui nescit, rusticus. Ita simit fetus suos deosculantur, ac pulcherrimos putant: ceteri, id quod re ipsa sunt, nihil nisi turpissimos simios agnoscunt.

Hanc veteris anni formam, quam ineptissimam, & pag. 264. sibi ipsi contrariam animadvertimus, solum in usu apud Patriarchas fuisse censet: donec anno exodi dua mutationes factæ. Prima forma æquabilis in formam lunarem: altera epocha autumnalis in vernam. De epocha idem tradit lib. II. de emendatione pag. 130. cap. de anno Autumnali veterum Hebræorum. Neutrum probatur, sed citra demonstrationem temere credendum obijcit; imò superiori doctrinæ refragatur. Est enim mutari formam aliquam anni nihil aliud, quam eam abrogari, nec in usu amplius esse; sed alteram in ejus locum substitui. Quare si æquabilis forma in lunarem est conversa, sola lunaris in usu fuit; priore illa sublata. Atqui hanc ipsam æquabilem partim ad usque Sedeciae casum, unâ cum Epochâ veterem servatam voluit: partim eo usque, dum Juliana forma ipsam excluderet. De quo vide que paullo superius ex ipso Scaligero protulimus. Non ergo mutata est æquabilis forma, sed ad eam lunaris adjuncta. Dicat aliquis: ideo mutatam esse, quòd civilis esse desierit, ac lunaris postea ad popularem annum assumpta sit. Quæramus igitur argumenta, quibus ea popularis anni mutatio comprobetur. Nulla sunt. Neque enim necesse est Hebræos postquam lunarem annum observare jussi sunt (si id modò verum est: Nam & dubitari de eo potest, quoniam Luna, ac lunarium mensium nulla est in sacris litteris expressa mentio, sed primus dumtaxat mensis usurpatur; quamquam nos de lunari non gravatè concessimus.) Sed ut Judæi lunares deinceps rationes adhibuerint, nihil est quòd fateri nos cogat, eas in civilem usum pervenisse. Siquidem Christianis orbis hoc tempore, cum Julianam anni formam vulgò, ac ἀκρίτως; admiserit, lunam nihilominus diligenter observat, ad eamque sacra sua, ac solennes dies dirigit. Ita apud Judæos alius Ecclesiasticus annus, alius civilis esse potuit; hic solaris, ille lunaris: quòd ipsum non ab Exodo primitus institutum, sed perpetuum, atque omnibus retrò faculis usitatum fuerit. Credo enim, veteres illi Patriarchæ, qui ante Moysen existerant, penitus lunam ignorabant, aut ea nihil opus habebant; cum præsertim Genes. i. utrumque luminare collocarit in firmamento Deus, ut & nocti, ac diei præessent ambo, & in signa, tempora, dies, atque annos adhiberentur. Quapropter ridiculum, ac temerarium est, unam, ac simplicem, anni formam veteribus ante Moysen Patriarchis assignare, aut ultra popularis esset, maxime sine probatione aliqua definire.

